Crotus Rubeanus Ulrico Huttero   de Ao 1511.

S.P.D. Plura queris in Epistola, respondebo per ordinem.
Primo scire vis, quo in te animo sim; qualis sim ami-
citiæ cultor, clarior esse debet tibi amor meus, quam
vel de me dubites. Crescit cum ætate mecum fides, constan-
tia, integritas, observantia erga bonos, adversus malos con-
temptus. Amavi te antea, jam vero auxi amicitiam
charitate, veneratione, religioneque sincera mentis,
et Hutterum meum sane habeo inter fidos amicos loco
primo aut certe primo proximo. Concessit hoc mihi
natura parens, ut favoris et benevolentiæ principes in
me dotes esse cognoscam, quas in hunc usque diem tali inte-
gritate expressi, ut neminem poenituerit usum se fuisse
mea familiaritate. Amicos non habuisse semper inho-
nestum putavi. Cessisse vero benevolentia et charitate
et turpe et indecorum duxi. Deinde quivis me natura
facilem clementemque effinxerit. Volui tamen in ami-
citia paranda parcus existere. Parata vero et promptus
et constans fide est (: nam per hoc ad alteram partem
epistolæ tuæ venio :) ut postquam in hanc solitudinem
secesserim ad veteres Phagos, Gelidosque montes. Ni-
hil omiserim, quod ad rem tuam pertinere arbitra-
rer. Volui, vox mea tibi deserviret, et amicitia
nostra tibi esset propugnaculo, sæpe cum patre,
sæpe cum nigricantibus consodalibus honorifice de te
sum loquutus. Frequenter addidi stimulum, frequen-
ter preces. Incidit aliquando sermo, ut vestem velle

mutâsse credidisses, aut incussisse minas mali audientibus. Scripsi eadem ad te binis verbosissimis literis, imò commentariis. Unas commisi Patri anno superiore. Cum nescirem plane quibus oris terrarum jactavere. Nisi quod quodam rumore monebamur te vivere in urbe Brunonis spoliatam. Alteras tradidi nuper mense decembre Johanni Aquilo, ita voco profugum adolescentem è familia Weigerorum. Scivi eodem tempore, sub quo coelo versarere; doctus primò à Madora adolescente cum bello, tum benè instituto, deinde lectione tui Sophi dono mihi missi à Muliano illo Polyhistore. In eo commentario diligenter perscripsi, quae hoc anno tibi de re tua didici. Sed quia neutras recepisti, vellem occidione occidisse. Non enim omnes scire debent, quae tibi Amico communico. Aquilus apud Francorum sedet, discessit eo consilio, ut te bonas artes audiret praecipientem. Spes vagum fefellit. Nuncio fortuito repete ab errabundo literas errabundas. Ego interim cantabo tibi eandem cantillenam sed summa sequar. Pater tuus Ulysseo ingenio praeditus callidior est, quam ut plenè intelligatur. Quoties mecum locutus est (: frequenter autem locutus est :) semper ridicula de te interrogavit, damnavit et te studiumque tuum voce adeò contemptibili, ut vix haberetis unius assis, mira audires si liceret extra Epistolam exspatiari. Illud quanquam vicit sordidatâ existimatione; Nihilominus tamen laude tuâ mirum in modum pascitur, quam nunquam satis audit. Caetera occulit vir prudens, animum titillantem ex tuis praeconiis non occulit, manifestat

Illud

Illud crebra de te repetitio. Porrò caeteris carentibus receptui novum ipse exorditur polemicum, quod res mihi certo judicio fuit, aliter de te diceret, aliter sentiret, propterea omnia de te pleno ore commemoro, ridet ille, vilipendit, hem habeo te callide: scio, quid sentis. satisfacis tuo circumspecto sermone. detentis patribus jurejurando affirmas, quantum tuum per te reversurum in cucullam, non audiente renuncias paternum animum, sic sedantur calvi. Tu interim remotiora hoc est, nova moliris et gnatum vis extollere. Haec vera sunt Ulrice Huttere, vult carere genitor tuus omni suspicione, quod me Hercule facit, ita exuit omnem sibi suspicionem, ut Monachi credant, nihil ipsum diis expectare, ut tuum reditum non omninò falluntur, quia hoc molitor meus tamen: ut audisti, subest alia, si propositum consilium male successerit. Anno superiore ad poculum serotinum mihi et duobus religiosis assessoribus: nam coeteri abierunt, se totum sine nube aperuit. Tria verba dixit tibi memoranda. Duos in fidem vocatis juravit, sese centum filii numismatum velle mercari, priusque moenia Uuldana exiret equo, ne tot annos hoc monasterio hoc contrivisses. Deinde coepit de religione tibi videri ait verisimile, ne quando bonus evaderes coenobita. Tertiò memoravit aliquem esse in Italia, vestrae familiae causis forensibus mirabiliter nobilitatum, si redires applicaresque te Jurisprudentiae omissis tuis nugis, memorato causidico se velle te mittere; melius in foro fieres rabula forensis

profutury genti Huttenorum Quam Monachy perversus malè auditurus patriby præsidiby. Hæc tunc. Quod jam verò aliter scribat, mandet, clamet, vociferetur, non miruni, causam recensui, ergò illis duaby meis epistolis deperdity diligenter tibi suadebam reditum. Non ad consortium Gallorum. Nam quicquid ejusmodi est, nihil dico, sed quid introspiceres consilium paternum secretius. Monui eidem, si tibi suspecta foret pax patris, consederes apud fidos amicos et propinquos; unde hortareris hominem quicquid vellet, mandaret. Deinde dispiciente te adesse quicquid vellet, mandaret. Deinde dispiciente tibi conditione, posse tibi patere totum mundum. Nunc idem videtur optimum factum, ad quod te hortor, moneo, invito. Crede mihi tuis reby sollicito non te capiet poenitudo. Sin autem imprudens nostrum consilium videtur, fac quod libet. Scribito quod Pomponium Laetum ad patriam revocatum à Româ rescripsisse solitum accepimus, siquidem non probans suorum voluntatem sic respondit. Pomp. Laety Propinquis et Amicis salutem quod petitis non fieri non potest; valete. Vox me Hercùle à magno animo profecta tibi juveni similis studii non spernenda, de Monachis autem, quod memorem supervacaneum puto, præsertim quando habeas binas literas me interprete aratas. Unum illud teneto. Omnes te amant, omnes tibi plurimum tribuunt, omnes in te magnam spem ponunt, præcipuè archimandrita, quorum clementiam tibi pro numine colendam contendit pr., quoties nares subducit et cutem non relinquit suo loco. Quod verò nihil ceris tradiderint Zonario, quem quidem non satis perito (: maximum nominavit. Debes tu suspicari. Verendum circumspecti Patres ne Mucianus amet ubi fidem servaveris, optimè de tuo studio literarum velle

velle consulere. Profitebar me de Monachis decrevisse
supersedere non pavi. Propositum vicit, verbositas mihi
tecum peculiariter communis. Ergo igitur esto, causamq;
totam Zonarij interpretationi relinquo. Paro statim
transitum ad aliam quaestionem. Est mihi ut volo: quaeris
tu his verbis, conveniens est eidem. Respondeam, quo
satisfiat verbo Catonis, par pari referto, vel tu quoq;
fac simile. Sed transeat jocus, palam loquar. Est mihi
ut volo. Nam volo illud, quod fortuna, sive aliquod
fatum est, offert. Secunda et adversa discrimino, illa
à Diis peto, ista quantum possum, providentia vito,
quicquid verò parum feliciter evenit, quia facta infecta
fieri nequeunt, juxta prospera pono, et fortunae ostendo
medium digitum, ut nuper in gravi casu, quo vita atq;
fatalis hora juxta erant. Audi à Zonario fortunas
hominum. Caeterum si de tota serie mei status fieri vis
certior, pande aures, ac summa duntaxat intromitte.
Nolui malam messem facere et beneficio mereri gra-
titudinem, quamobrem discessi ab illustribus discipulis
impetrata immissione, nolente volente patre Fredii
ad Eugshundium in consortium hominum similitu-
dine studiorum parium. Quod genus vivendi ego ar-
ctissimum societate, jucundissimum pro cujusq; aetate
duco. Et Marcus putat. Imus in ibi omnia discordi-
arum plena. Discedente plebe à Patribus, cottidieq; nova
moliente. Non tutum videbatur versari inter enses,
atq; pro calamo ferrum nactare. Proinde semestri
spatio coepi cogitare, quo consilio subreperem me
turbulentis Charibde, praesertim jam se inclinare

collegio hominum literatorum. Ita mecum cogitanti redduntur literæ à Vildany. Advolo media hyeme. Advenienti proponuntur conditiones multæ, displicuerunt omnes; ergo rediissem in Thuringiam, nisi Fromiy Apollo Petry Schambergiy coeteri invitum precibus detinuissent, tantoperè displicuit ludus scholasticus, quem iidem nolebant separare à prælectione Monachorum, prout ipse enixè cupiebam. Victus itaque orando mansi præses gemini ludi pro mercede à Kirchbergio, quem totum habeo aureorum, vestiti aulici à prib. flo: XIIII. cum reliquis corolariis, non numeratis quisquiliis superstitibus à grege scholastico. Vale et quæ ab Amico sincero quem castigatius scribuntur scire arbitris lege, scis quem morem in scribendo tecum habeam, apud alios utor aliquâ diligentiâ, tecum duntaxat verbis. Vale III. Nonis Februarij M. D. XI.

Crotus.